

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2516

Auteur(s) : Richard Duval [prêtre]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1286, octobre

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Donation par Richard Duval à l'Hôtel-Dieu de Coutances pour son obit d'une rente de 9 boisseaux de froment, deux deniers, un pain et deux gelines à Saint-Georges de Tommeville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° CXV, p. 108-109.

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes et futuri quod ego, Ricardus de Valle presbyter, dedi et concessi finaliter priori, fratribus et pauperibus Domus Dei Constanciensis, pro salute anime mee, parentum et antecessorum meorum, in puram et perpetuam elemosinam, ad obitum meum faciendum singulis annis post decessum meum in domo supradicta, videlicet novem bussellos frumenti, ad mensuram de Barnavilla, duos denarios turonensium pro panibus et duas gallinas annui redditus, quem redditum Ricardus Philippi michi debebat et reddere tenebatur annuatim, scilicet dictum frumentum ad festum Sancti Michaelis, panes seu denarios et gallinas ad Natale Domini de regardo, de uno clauso continente circa novem virgatas terre, quem dictus Ricardus Philippi de me tenebat in feodum, sitto in parrochia Sancti Georgii de Tommevilla, juxta terram Guillelmi de Otevilla ex uno latere et ex alio latere versus Lanquetot, et butat ab uno capite ad cheminum per quod itur de Barnevilla apud Orlonde et alio capite ad maisnagium Rogeri Yvonis ; percipiendum, habendum et reddendum dictum redditum de cetero in perpetuum ad terminos antedictos predictis priori, fratribus et pauperibus dicte Domus et successoribus eorumdem, per manum dicti Ricardi et heredum suorum, ad obitum meum supradictum annuatim faciendum, seu per manum cujuscumque tenentis de cetero dictum clausum, libere et pacifice, sine contradictione mei aut heredum meorum aliqua de cetero facienda, cum hominagio dicti Ricardi Philippi et cum dominio et justicia et omni alio jure que et quod ego habebam seu habere poteram in clauso supradicto. Et tenemur ego dictus Ricardus de Valle, presbyter, et mei heredes et tenebimur de cetero predictis priori, fratribus et pauperibus dicte Domus et eorum successoribus hec omnia supradicta garantizare, deliberare et defendere contra omnes bona fide, salvis juribus capitalium dominorum, que jura dictus Ricardus Philippi et sui heredes reddere tenebuntur annuatim de clauso supradicto, exceptis tribus denariis turonensibus, quos dicti prior et fratres ac pauperes et eorum successores tenebuntur reddere annuatim domino Johanni de Karetot militi et suis heredibus tantummodo. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen,

presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratie M° CC° octogesimo sexto, mense Octobris.